


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
Aug. 28, 1863.



HISTORIA CRITICA

M. TVLLI CICERONIS

EPISTVLARVM

SCRIPSIT

BRVNO NAKE

BONNAE

HENRY & COHEN.

1861.

1863, Aug. 28.
.33
Salisbury Fund.

FRIDERICO RITSCHELIO

OTTONI IAHNIO

PRAECEPTORIBVS

Tria ad nos peruenerunt M. Tulli Ciceronis epistularum corpora [1]), quorum primum continet epistulas ad T. Pomponium Atticum, alterum ad Quintum fratrem missas, tertium autem, quod epistulas ad familiares dicere solemus, est συναγωγὴ haud ita simplice ratione composita. Insunt enim non solum quas Cicero ad plus octoginta illius aetatis uiros dedit epistulae, sed etiam quae hi ipsi uel responderunt uel ultro ad illum scripserunt, ut hoc corpus, cum singulorum modo singulae epistulae sint modo maior scriptorum copia, uariam speciem praebeat; unde quantus fuerit uirorum numerus, quibuscum Cicero consuetudinem habuit, conligere licet. Tres rursus talis corporis componendi patuerunt uiae, cum respicere possent aut ad argumenta epistularum, aut ad tempus quo quaeque scripta esset, aut ad eorum nomina, qui epistulas uel misissent uel missas accepissent. Quibus ex uiis quod postremam ingressi sunt editores, sunt qui uituperent [2]), in quo nimis seueri fuisse mihi uidentur. Sane si id uoluissent, ut quae Ciceronis aetate gesta essent legendo perspici posset, hau dubie tempora quibus singulae epistulae scriptae sunt sequi debuissent; sin autem eo tendebant, ut quo modo Ciceroni

1) Missum facio per totam hanc dissertationem librum epistularum ad Brutum, quippe quas spurias esse putem; easque eo magis omittere licet, quod, quantum ad nostram rem attinet, nullius momenti sunt.

2) Manutius praef. ad lib. XIIII ad fam., alii.

cum singulis uiris res fuissent, uideremus, eiusdem epistulas per totum corpus dispergere non licuit; quam uiam eodem profecto iure, ne dicam maiore etiam illos inisse intellegimus, praesertim si quid uoluerint illius aetatis homines reputamus. Illud uero uehementissime uituperandum esse adparet, quod singulae epistulae, quae eorundem sunt, tempora neglegunt, ut plerumque quidem eiusdem anni epistulae altera alteram excipiant, sed ita, ut mensium dierumque prorsus nullam rationem habeant. Quid quod nonnumquam accidit, ut uel hae uel illae litterae sui anni epistulas relinquentes in eius qui uel antecedit uel sequitur [3]) anni seriem transirent. Inde illarum, ut exemplum adferam, quae sunt Ciceronis et Bruti (ad fam. XI. 4 [4])—26) hic ordo est: epp. 4—7 et 16 et 17 anno IↃCCX, reliquae anno IↃCCXI scriptae sunt, ita uero, ut in hunc modum sese excipere debuissent: 8, 9, 10, 11, 18, 19, 20, 23, 12, 14, 26, 21, 13, 24, 15, 25, 22 [5]). At quid hinc sequatur, postea uidebimus, nunc ea tractanda sunt, quae in principalem illam quam institui regulam non quadrant. Septies enim uel octies Ciceronis epistulae ad eosdem missae inueniuntur, quorum nomina nonnullis alius libri epistulis inscripta sunt. Quorum locorum conspectum hunc habes: misit Cicero

Cassio Longino τυραννοκτόνῳ: et XII. 1—12 et XV. 14—19 [6]).
M. Claudio Marcello M. F. „ IIII. 7—11 „ XV. 9 [7]).

---

3) Raro litterae aliquae intra remotioris anni epistulas migrauerunt: in lib. VIIII et XIIII; praeterea ita ut eorum qui interessent annorum nullae epistulae exstarent in lib. VII (et XIII).

4) De epp. 1—3 huius libri infra disputabimus.

5) Cf. I. de Gruber: quaestio de tempore atque serie epistolarum Ciceronis. Sundiae 1836. 4.

6) Ex his XII. 11, 12, XV. 19 Cassi ipsius sunt.

7) Ex his IIII. 11 Marcelli ipsius est. Ceterum, ne quis putet me huius libri ep. 7 neglegentia praetermisisse, hanc ad C. Clau-

Iulio Caesari	et VII. 5	et XIII. 15 et 16.
Minucio Thermo	„ II. 18	„ XIII. 53—57.
Munatio Planco	„ X. 1—24	„ XIII. 29[8]).
Sulpicio Lemoniae	„ IIII. 1—4 et 6[9])	„ XIII. 17—28a.
Trebonio	„ X. 28	„ XV. 20 et 21.

Quibus fortasse [10]) addere debemus:

Titio	et V. 16	„ XIII. 58 aut 75.

Vix puto fore, qui hunc conspectum intuitus non animaduertat, alteram quamque partem epistularum, quae ad eundem sunt, inueniri in libro aut tertio decimo aut quinto decimo, priorem autem esse librorum I—XII.

Iam quaeritur, unde factum sit, ut is qui primus hoc corpus conlegit in disponendis epistulis ab illa regula recederet, quam sibi ipse instituisset aliisque praetulisset. Plus quadringentas scilicet epistulas in eum ordinem redegit, ut nomina sibi inscripta sequerentur — cur tandem octies a se ipse quasi defecit? Frustra certam caussam rationemque inuestigare studebimus. An casu aliquo euenit, ut nonnullae epistulae ab eis seiungerentur, quibuscum coniungendae erant? Potuit sane casu accidere ut in conligendo uel haec uel illa epistula suam regionem relinqueret, aliarum peteret — sed quanam probabilitate octies tale quid librari permissu factum esse sumemus? Neque erant singulae epistulae, quae omissae alii loco insererentur, sed plus semel quinque, sex, undecim. Deinde, si casui hanc ordinis perturbationem tribuimus, qualis est hic casus, cui

---

dium Marcellum, C. F. minorem missam esse (id quod Ernestius coniecit) persuasum habeo.

8) Ex X. 1—24 quaedam sunt Munati ipsius.

9) Epp. 5 et 12 eiusdem libri Sulpici sunt, qua de re infra disputabimus.

10) Neque enim ullo modo discernas, utrum hic Titius, ad quem ep. V. 16 misit Cicero, idem sit atque ille, ad quem scripsit XIII. 58, an ad quem XIII. 75, an tertius aliquis.

duo illi libri, tertium decimum dico et quintum decimum, ita placuere, ut quotcumque epistulae omissae erant, eas his potissimum insereret, tamquam si ipsorum caussa eos supra seruasset? Sed uereor, ne longus esse uidear in eis refellendis, quae nequaquam ueri similia esse adparet. Atque si quis est, qui nihilo minus casui tantum tribuit, quantum sibi ipsum casum confidere non credo, quae postea de ratione qua haec epistularum corpora orta sint disputabimus, ea puto tam certo argumento demonstratura esse casum nullas partes h. l. habere, tamque perspicue doctura, quo modo perturbatio illa — quae esse uidetur potius quam re uera est — orta sit, ut ne species quidem dubitationis relinquatur. Quid autem, si est qui in describendo illas epistulas transpositas esse putet? Talia enim in libris ad Atticum et ad Quintum fratrem facta esse cum in legendo uidemus, tum praeclarum in modum certissimis exemplis demonstrauit Th. Mommsenius[11]) — quidni simile aliquid in eis quae tractamus euenire potuit? Attamen euenisse nego. Neque enim repetam, quod supra commemoraui, uix tam saepe talia accidere potuisse, neque illud miro quodam casu quaecumque omissa erant folia in duo libros migrasse — immo hoc etiam largiar (quod ut quisquam mecum largiatur uereor) octies folia nonnulla ita transposita esse, ut ne una quidem epistula hoc facto discinderetur — tempus ipsum quo illae epistulae scriptae sunt, obstat, id quod uno exemplo demonstrabo. Epp. XIII. 15 et 16 sunt anni IↃCCVIIII, eiusdem libri epp. 17—28[a] anni IↃCCVIII, item ep. 29. Cum autem ep. VII. 5 miserit Cicero anno IↃCC, IIII. 1—6 intra annum IↃCCI et IↃCCVIIII, X. 1—24 denique a. IↃCCX et IↃCCXI, ex eis quae supra de ordine epistularum disputauimus sequi-

---

11) In: Zeitschrift f. d. Alterthumsw. 1844. Nr. 75 et 76, et ib. 1845. Nr. 98 et 99. Quibus adde quae proposuit de Gruber l. comm. de epistulis quibusdam ad Atticum scriptis.

tur, ut omnia bene sese non habeant, nisi ep. XIII. 15 et 16 post epistulam VII. 5 ad eundem scriptam positae fuerint, item XIII. 29 ante X. 1—24. Itaque illas (XIII. 15 et 16) nullae litterae in eodem folio antecedere debuissent, hanc (XIII. 29) nullae sequi. Cum autem epistulae XIII. 15, 16 et ib. 17—28[a] et ib. 29 sese excipiant, necesse est illas (15 et 16) in eodem folio nihil secutum sit, hanc (29) nihil antecesserit — restat igitur, ut et epp. XIII. 15, 16 et ep. XIII. 29 unum quaternionem q. d. effecerint. Quod non ita fuisse cum aliunde tum ex ipsa foliorum ratione, quae frustra talia nobis fingere studebimus, ut illa transpositio fieri potuerit, satis adparet. Quae cum ita sint de transpositis foliis nullo modo cogitare licet. Quid autem? Si in describendo illae de quibus agimus epistulae suo loco motae non sunt, eas inde ab initio in hunc modum dispositas fuisse concludere debemus. At ei, qui epistulas conlegit, supra intelleximus tale quid tribuere non licere — quo modo igitur, quae facta esse nostris oculis uidemus, ut negare nequeamus, explicemus? quo modo et Scyllam et Charybdim uitemus? Vna tantum, si quid uideo, explicandi patet uia: legem quidem, quam sibi ipse instituit, nemo in disponendis epistulis neglegere potuit, cum cur recederet non esset — sumamus igitur epistulas illas quas dicimus ad familiares inde ab initio non unum corpus effecisse, sed complura, ut cum complures eas conligerent, suarum quisque ordinem seruare potuerit. Quod ita esse eo confidentius contendere licet, quod ab alia quadam parte eaque ab nostra prorsus diuersa in eandem sententiam adducimur. Cum enim qui ceteros libros conlegit argumentorum nulla ratione habita ad sola scriptorum nomina respexerit, tertius decimus liber nullas epistulas nisi commendaticias [12]) continet, id quod eo ma-

---

12) Vna huius libri epistula (duodeseptuagesima) non ipsa commendaticia est, sed quae Cicero Seruilio respondet continet. Cum

gis mirum nobis uideatur oportet, quia octoginta epistularum numerum superat. Quis igitur, qui hunc librum cum ceteris nihil commune sed suum potius orbem, ut ita dicam, per se absolutum habere uideat, nihilo minus eum una cum reliquis ab eodem conlectum esse contendat?

Sed etsi epistularum ad fam. libros in complura corpora diuidendos esse cognouimus, tamen adhuc nec quot corpora essent intelleximus, neque ubi cuique fines. At hoc loco eo magis refutem oportet coniecturam quandam, quod habet, quo se commendet. Vbi enim supra epistulas attuli, quae ab aliis ad eundem uirum ab eodem scriptis seiunctae sunt, consulto in conspectum illum nonnulla non recepi, quae nunc tractanda sunt. Nam octo illa exempla ita comparata sunt, ut epistulae ab eodem uiro ad eundem scriptae in diuersis libris inueniantur, quas quidem omnes recensui. Sed quamquam minus longe, recedunt tamen ab illa disponendarum epistularum regula non solum, quae ab eodem ad eundem scriptae in eodem quidem libro, sed aliorum epistulis interiectis leguntur, sed etiam si diuersis locis reperiuntur, quarum altera pars ab illo scripta est, cui missa est prior, missa rursus illi, qui priorem partem ipse scripsit. Quas omnes [13]) hoc conspectu congessi:

---

autem ille Ciceroni patrem suasque ipsius res commendasset, haec epistula nihilo minus in commendaticiarum numerum recipienda erat. Ceterum et de reliquorum librorum argumentis et de tertii decimi libri auctore infra accuratius uidebimus.

13) Cur in priore conspectus parte non commemorauerim Ciceronis et D. Iuni Bruti mutuas epistulas XI. 4—26 esse, eiusdem D. Iuni, sed ad M. Brutum et Cassium missam ib. ep. 1, item in altera parte Ciceronem ad M. Brutum misisse XIII. 10—14, eiusdem Bruti et Cassi ad Antonium esse XI. 2 et 3 — hoc facile perspicitur, neque attulissem, nisi ne quid dolo malo praetermisisse uiderer. Quid enim D. Bruti epistulis ad Ciceronem est cum epp. ad Cassium, quidue M. Bruti ad Antonium missis cum Ciceronis epistulis ad eundem Brutum? Nihilo plus profecto quam Ciceronis epistulis ad Tor-

Prioris generis hasce habes:

Sulpici Lemoniae est et IIII. 5[14]) et ib. 12.
ad Silium „ „ XIII. 47 „ „ 61—65.

In alterum quod modo significaui genus haec cadunt:

}	Cicero Aemilio Lepido	misit	X. 27.
	Aemilius Lepidus Ciceroni	„	X. 34 et 35.
}	Cicero Caelio Rufo	„	II. 8—16.
	Caelius Rufus Ciceroni	„	totum l. VIII.
}	Cicero Trebonio	„	X. 28, XV. 20, 21.
	Trebonius Ciceroni	„	XII. 16.

Itaque quo loco supra eo perueneramus, ut sedecim libros epistularum ad famil. complura corpora efficere statueremus, ibi duas huiusmodi συναγωγὰς sumere suffecit. Cum enim ita res sese haberet, ut epistularum quarundam ad eundem uirum missarum prior pars in libris I—X, altera in l. XIII inueniretur, aliarum rursus prior in libris I—XII, altera pars in l. XV, nihil offensioni fuisset, si prius epistularum corpus libros I—XII, alterum libros XIII—XVI complecti statuissemus. Nunc uero est fortasse, qui inde ab initio tot corpora eaque ita discisa fuisse putet, ut non solum quae primo illo conspectu a disponendarum epistularum regula recedere docui bene se habeant, sed hae quoque offensiunculae, quas modo proposui, uitentur. Quod ut fieret sedecim libros in quattuor corpora diuiderentur necesse esset in hunc modum, ut finis

---

quatum cum eiusdem epp. ad Lucceium datis. Quo modo autem inter has Ciceronianas uenerint, facile intellegitur. — Item non est cur addam, libri XVI. epistulas non omnes a M. Tullio scriptas esse. Quibus epistulis hoc commune est, quod omnes ad eundem Tironem missae sunt, ut nihil intersit, quisnam e Ciceronibus singulas scripserit, utrum Marcus ipse (ut: 2, 10, 12—15, 17—20, 22—24) an filius (ut 21, 25) an Quintus frater (is 8, 26, 27) an complures eorum (1, 3—7, 9, 11).

14) Cicero ad Sulpicium misit IIII. 1—4 et 6, ut supra commemorauimus.

primi	corporis	esset	intra	epp.	IIII. 6	et	IIII. 12,
secundi	„	„	„	„	X. 28	„	X. 34,
tertii	„	„	„	„	XIII. 47	„	XIII. 61,
quarti	„	„	XVI extr.				

Sane si quis nihil efficere studeat, nisi ut omnia regulam supra propositam sequantur., hic talem distribuendi rationem laudet libenterque capessat; quam prorsus relinquendam esse facile nobis persuadebimus. Videntur enim potius quas modo recensui epistulae cum regula non congruere, quam re uera ei repugnant. Nam unde factum sit, ut ter (cf. alteram conspectus partem) epistulae a duobus uiris mutue scriptae ita alterae ab alteris dirimerentur, ut quas prior scripsisset huic, quas alter illi libro tribuerentur — hoc infra explicabo, cum ex ipsa ratione, qua haec corpora orta sunt, facile adpareat. Sulpici autem Lemoniae epistula (ad fam. IIII. 12) propterea a ceteris eiusdem seiuncta Ciceronis et Marcelli mutuis epistulis adiecta est, quod huius eiusdem Marcelli mortem narrat. Itaque cum solae litterae Sili (XIII. 47) restent, hunc Silium, nisi nomen conruptum est, alium esse ac illum P. Silium Neruam, cui misit Cicero epp. XIII. 61—65, puto [15]). Sed utut haec se habent — nolo enim in rebus quae suam lucem statim infra accipient nec magni momenti sunt longus esse — in illa quattuor corpora epistulae ad fam. discindi nequaquam possunt. Neque enim singulorum corporum fines in hunc modum statuere licet, ut cum librorum, quales nunc sunt finibus non congruant, quippe qui ab initio fuisse uideantur [16]). Sili uero litteras eo ut corpus aliquod inter tertii

---

15) Neque est cur illum eundem esse statuamus, cum in ep. 47. Cicero praenomen, quod in epp. 61—65 addidit, omiserit, cumque M. Tullio cum aliis Siliis rem fuisse epp. ad Attic. XII. 24. 1, 26. 1 aliae doceant. Ceterum chartarum confusionem ne hoc quidem loco, quantum uideo, sumere licet.

16) Cf. Nepotis uitae Attici c. 16. § 3.

decimi libri epistulas 47 et 61 finem cepisse statuamus nos adducere non posse uel ex eis adparet, quae supra de huius libri indole atque ratione disputauimus. — Quae cum ita sint neminem hac uia processurum esse puto, ut quot corpora, quos cuique fines sumere opus sit inuestiget; neque est cur doleamus, quod hanc uiam frustra tentauimus, alia enim patet, quae quo tendimus eo ducet. Itaque quae adhuc disputauimus ea hoc docent: sedecim libros epistularum ad fam. plus unum corpus ita efficere, ut liber XIII. non eiusdem ac lib. I—X, quintus decimus autem alius sit, ac I—XII. libri. Nunc ad aliam disputationem nos conuertamus, quae unde facilius et certius de corporum numero finibusque iudicium faciamus praebebit. —

Maximas profecto mirificasque gratias fortunae debemus, quae tot Ciceronis epistulas easque tam diuersorum generum nobis uoluit seruare, cum cui plus usus fructusque adferant, utrum historiae studiis an scientiae litterarum an grammaticae an aliis disciplinis difficile sit dictu. Attamen quam paucae ad nos peruenisse uidentur, si quanta multitudo non scripta sit omnino a Cicerone, sed in uulgus quondam edita consideramus! Sunt enim, quibus miserit permultas, quarum nunc ne una quidem exstet, sunt quoque, quorum nomina nunc uel uni uel perpaucis epistulis inscripta inueniantur, quamuis satis magnum librorum numerum ad eosdem missum posteaque diuulgatum esse illi antiqui scriptores demonstrent, quibus adhuc in manibus erant. Etenim ut una tabula quaecumque aliquando diuulgata esse inuestigare potui comprehendam, praeter ea quae ad nostram aetatem peruenerunt haec sunt[17]:

---

17) Vnum tantum quo quidque commemoratur locum attuli, etiam si multi exstant. Quae minus certa sunt uncis inclusi, explicui adnotationibus.

Ciceronis ad Axium libri II [18]) (Nonius pg. 509. 20)
„ „ Brutum libri VIIII [19]) (ibid. pg. 421. 29)
„ „ Caerelliam epistula (Quint. VI. 3. 112)
„ „ Caesarem lib. III (Nonius pg. 286. 12)
„ „ Caes. iuniorem lib. III (ibid. pg. 329. 27)
„ „ Caluum [20]) lib. complures (Prisc. II. pg. 490. 12 Keil)
„ „ Cassium [20]) lib. complures (Nonius pg. 278. 5)
„ „ Catonem epp. amissae (ibid. p. 438. 33)
„ „ filium lib. II (Nonius pg. 275. 17)
„ „ Gorgiam (Plut. u. Cic. 24)
„ „ epistulae Graece scrpt. (ibid.) [21])
„ „ Herodem epist. (ibid.)
„ „ Hirtium lib. VIIII (Non. pg. 450. 3)
„ „ Hostilium [22]) epist. (Charis. I. pg. 110. 2 Keil)

---

18) Apud Nonium l. c. cod. Guelf. habet: *Attium*, Leid: *Axium* supersc. litt. *tt*, sed cf. Arusian. Mess. ap. Lind. c. g. L. I. pg. 212 et 213. Fortasse etiam plus duo libros epistularum ad Axium exstitisse concludere licet e Frontonis ep. ad Anton. II. 5.

19) Vereor ne hic nonus liber ille non ita multo post Ciceronis mortem ei suppositus sit, quem nos adhuc habemus, cum noster liber a uerbis quae Nonius l. c. adfert initium capiat.

20) Cum Priscianus l. c. librum primum adferat (item mox Nonius epistularum ad Cassium) ad utrumque minimum duo libros diuulgatos esse manifestum est.

21) Ciceronis epistulas Graece scriptas suum per se uolumen effecisse ac litteras, de quibus Plut. h. l. agit, continuisse uu. *τῶν Ἑλλ. μία* demonstrare mihi uidentur, quamquam h. l. non possum ea a lectore aliquo adscripta esse non putare. Item Bruti epistularum exstabat et corpus Graecarum et Latine scriptarum (cf. Meyer ad Cic. Brut. pg. 11), atque idem fortasse in Varronem cadit (cf. F. Ritschl, Mus. Rhen. VI. pg. 539 et 553, qui adfert Meyerum).

22) Martyni-Laguna in Cic. epp. comment. adn. 2 (ed. Orelli ind. lect. Turic. 1840. pg. 27) pro Hostili nomine: *ad Metellum* scribi iussit, ut ad Luccei epistulam (fam. V. 14. 1) respiceretur. Nec uero ullam caussam profert u. d. nisi hanc: ,ad quem (scil. Hostilium)

Ciceronis ad Marcellum[23]) epist. (ibid. pg. 108. 26 Keil)
" " Nepotem lib. II (Macrob. sat. II. 1. 14)
" " Pansam lib. III (Non. pg. 92. 21)
" " Pelopem epist. (Plut. l. comm.)
" " Pompeium lib. IIII (Non. pg. 293. 19)[24])
" " Titinium epist. (Suet. de rhet. 2)
[" " uxorem[25]) epp. perd. (Diomd. pg. 375. 27 K.)]
Bruti ad Ciceronem epistulae (Tac. dial. 18)
Caesaris ad " lib. [complur.[26])] (Charis. I. pg. 126. 11)
Calui " " epistulae (Tacit. dial. 18).

Praeterea aliquoties commemorantur Ciceronis epistulae omissis eorum nominibus, quibus missae sunt.

Quem conspectum cum oculis percurrimus subibit nos recordatio, in sedecim libris qui ad nos peruenerunt, quasdam inesse epistulas ad eosdem uiros scriptas, quibus Ciceronem tot misisse tabula docet, ut non paucae epistulae

---

nullae unquam Ciceronis epistulae scriptae sunt.' Quasi quod nullae ad nos peruenerunt, nullae scriptae essent! Coniecturam autem illam falsam esse patet, cum Charis. l. c. et I. pg. 142. 7 aperte Ciceronem ipsum uoc. requietem usum esse dicat, ut ad Luccei epistulam haec uerba spectare nequeant.

23) Char. l. c.: ‚Et Cicero' inquit ‚ad Marcellum simiolum diminutiue dixit.' Vnde, cum fam. VII. 2. 3 in epistula quadam ad Marium hoc uoc. inueniatur, Fabricius apud Charis.: ‚ad Marium' scribere uoluit. Qualis coniectura criticae artis legibus repugnat.

24) Haec epistula casu seruata est ad Att. VIII. 11 D, Attico una cum aliis missa.

25) Vxoris mentionem coniectura tam speciosa quam incerta restituit Keil l. c.: cf. Prisc. II. pg. 490. 12 Keil.

26) Charis. l. c. haec dicit: ‚Itaque Caesar epistularum ad Ciceronem: neque, inquit, pro cauto' e. q. s. Quo loco genetiuus ille intercidisse docet aut uoc. ‚libro' ante ‚epistularum', aut numeri alicuius signum post ‚Ciceronem' (cf. Prisc. II. pg. 490. 12). Quorum si alterum et quod mutatio facilior est et quod res ipsa suadet praeferimus, complures libros fuisse manifestum est.

sed toti libri quondam diuulgarentur. Quos libros illas epistulas et ipsas quondam continuisse cum ratiocinando demonstrare possumus, tum praeclaro testimonio idem Nonius docet, qui tot locis e Ciceronis epistulis adlatis optime de nostra caussa meritus est. Qui inde a p. 278 u. 5 haec tradit: ‚M. Tullius ad Cassium lib. I: iam biennium est, cum uirtuti nuntium remisisti delenitus illecebris uoluptatis‘ eisdem uerbis, quae in epistula ad Cassium missa (fam. XV. 16. 3) legimus (praeter quod hic scriptum est: ‚biennium aut triennium est‘). Vnde sequitur ut illae de quibus agimus epistulae aut prius editae in ampliores ep. libros receptae sint aut si integros libros ante diuulgaverunt, ex his sumptae in nostras ‚epistulas ad familiares‘ transierint — quorum illud reiciendum est. Nam ut de tali epistularum repetitione (quae si antiquorum consuetudinis rationem habemus satis mira nobis uidebitur) taceam — necesse esset sumeremus nonnullas Ciceronis epistulas una cum aliis in unum corpus coniunctas editas esse, postea ceteras ad eosdem uiros scriptas; idque non semel sed minimum ter accidisse. Quid autem quod sedecim libros epistularum ad fam. in complura corpora separatim quodque edita seiungenda esse uidimus? Septies (uel etiam octies) aliquot epistulae simul cum aliis diuulgatae essent, postea denuo nonnullae ad eosdem uiros missae una cum aliorum epistulis. Quae edendorum scriptorum ratio ab illius aetatis consuetudine prorsus abhorret. Quid enim? cur tandem potuit is qui epistulas ad M. Claudium Marcellum M. F. (IIII. 7—11) diuulgauit, epistulam XV. 9 ad eundem scriptam non et ipsam diuulgare? Cur qui epistulas ad Thermum XIII. 53—57) edidit, illam eidem missam (II. 18) edere non potuit? Cur cui quattuor et uiginti epistulae Ciceronis et Planci (X. 1 sq.) obtigerunt sola ep. XIII. 29 ad eundem Plancum non obtigit? Atque talia decies uel undecies facta esse quis est qui credat? Sed quamquam talis edendarum epistularum ratio reiciatur non solum opor-

tere sed iam quasi necesse esse mihi uidetur, tamen grauiora etiam tamquam cumulus accedunt. Cum enim libros tertium decimum et quintum decimum epp. ad fam. alius corporis ac libros I—XII esse uiderimus: primum nonnullae Ciceronis ad Cassium (et Cassi ad Ciceronem) epistulae diuulgatae essent (fam. XII. 1—12), postea rursus paucae quaedam (XV. 14—19), denique complures epistularum ad Cassium libri — num quis est qui etiam hoc illi aetati tribuere audeat? Attamen idem Caesaris epistulis accidisse necesse esset, ad quem sunt VII. 5, XIII. 15 et 16, denique tres libri. Vel contemplemur librum tertium decimum: cui tandem et in mentem uenit et contigit plus octoginta epistulas commendaticias ad plus triginta homines missas in unum conligere nec uero ullas alius argumenti litteras recipere? Num tale consilium fere ineptum, quod neque unquam cepit quispiam nec capiet, Ciceronis epistularum editori tribuas, quem quotquot potuit epistulas uiri celeberrimi conlegisse uidebimus? Itaque, cum nunc pro certo adfirmare liceat, si quibusdam epistulis eorundem nomina inscripta inuenimus, ad quos missi toti epistularum libri olim diuulgati sunt, eas ex his ipsis libris sumptas esse, adparet quicumque libri epp. ad fam. tales epistulas contineant, hos non esse illos primo editos. Immo cum mediis eis illae epistulae insertae sint, toti in hunc modum compositi sunt, ut e singulis illis libris primo editis quaedam sumerentur atque in unum corpus coniungerentur: sunt igitur, ut uno uerbo dicam, quidam libri epp. ad fam. excerpta. Nunc intellegimus unde factum sit, ut saepissime perpaucis epistulis eorum nomina inscripta inueniantur, quibuscum Ciceroni magnam epistularum frequentiam fuisse scimus; nunc illud quoque, quomodo acciderit, ut tertius decimus liber nullas epistulas nisi commendaticias contineat.

Iam quaeritur in quosnam libros haec disputatio cadat, quinam sint quorum nomina et integris libris (grammaticis

testibus) et singulis epistulis adhuc seruatis inscripta inueniantur. Diuulgatos igitur olim legebant Ciceronis

ad Caesarem lib. III, nunc legimus l. VII. ep. 5,
„ „ „ „ „ „ „ XIIII. „ 15 sq.,
„ Cassium lib. complur., „ „ „ XII. „ 1 sq.,
„ „ „ „ „ „ „ XV. „ 14,
„ Pompeium lib. IIII, „ „ „ V. „ 7.

Itaque, ut utamur eis, quae modo demonstrauimus, pro excerptis habendi sunt libri V, VII, XII, XIIII, XV. Eodem sane iure, si quorum nomina inscripta et epistulis diu amissis grammatici tradunt et adhuc superstitibus nunc legimus, has epistulas ex eiusdem modi libris electas esse statuemus; sed hoc non cadit nisi in eosdem quinque libros, quibus num quartus decimus addendus sit dubito, cum Terentiae nomen (ad quam scriptus est hic liber) apud Diomedem (pg. 375. 27 ed. Keil.) coniectura tantum, etsi speciosa, restitutum esse uiderimus. Quam ob caussam in nostra argumentatione missum eum faciamus. Sed aliunde aliquid proficiemus. Inter illos enim qui pro excerptis habendi sunt libros et tertius decimus est et quintus decimus, ut quaecumque epistulae his duobus libris continentur, eas selectas esse intellegamus. Quid autem? eosdem libros epistulas, quibus idem nomen ac quibusdam epistulis libris I—XII insertis inscriptum esset, continere uidimus — nonne hinc sequitur, ut illi libri (ex I—XII) ad quos hoc pertinet hau minus excerpta sint, atque ipsi XIII et XV? Cum igitur quo significaui modo

cum libro XIII cohaereant I, II, IIII, V, VII, X,
„ „ XV „ „ IIII, X, XII,

libros II, IIII, V, VII, X, XII, et ipsos excerpta esse statuamus oportet; atque — quasi casus ea ipsa, quae ratiocinatione efficimus confirmare uoluerit — in his libris tres sunt, quos excerpta esse iam supra uidimus: quintum dico, septimum, duodecimum. Quae cum ita sint testimoniis in unum conlectis hosce libros excerpta esse mani-

festum est: II, IIII, V, VII, X, XII, XIII, XV. Restat ut de ceteris libris epp. ad fam. uideamus.

Sed in his tractandis sola ratiocinatione confidere debemus, cum antiquorum scriptorum testimonia, a quibus adhuc proficisci licuit, nos iam deserant. Scimus sane Ciceronem ad multos uiros (uel hos ipsos ad Ciceronem) plures epistulas dedisse, quam ad nos peruenerunt, sed num inde sequitur, ut eaedem diuulgatae sint? Potuit hau dubie fieri, sed item potuerunt multae esse caussae, cur epistularum editores uel has uel illas litteras in edendos libros recipere nollent, quas caussas sibi quisque ipse, si placebit, finget. Attamen, etiam si ab hac quidem parte nihil certi demonstrare possumus, duodecim primos libros epp. ad fam. omnes excerpendo ortos esse prorsus ueri simile est. Ex duodecim enim libris dimidiam partem excerpta esse constat eosque ita, ut hi libri non alter alterum excipiant, ceteri et ipsi inter se coniuncti sint, sed ita ut per totum fere corpus singulos libros de quibus agimus singuli qui excerpta sunt, sequantur. Itaque qui hos omnes libros selectos esse negat, is uel tredecim uel maiorem etiam corporum numerum sumat necesse est — sed ne tum quidem quo modo corpora quorum prius quodque integrum seruatum, alterum quodque excerpendo ortum esset, in hunc mirum ac singularem ordinem uenerint, nobis persuadebit. Accedunt alia. Perturbationem enim epistularum, quae qualis sit supra uidimus, in libris primigeniis, ut hoc uocabulo utar, non solum non minorem, sed etiam maiorem fuisse facile perspicitur, quippe cum quaecumque epistulae quarum altera alteram excipere debuit nunc interiectis aliis dirimuntur longius etiam seiunctae fuerint, si interiectarum numerus et ipse maior fuisset. Quod si ita est epistulas illas cum primum diuulgatae sunt, parum curae studiique adhibito conlectas esse uidemus, ut numerum potius editores quam ordinem aliaque huius modi spectauerint. Itaque, cum quam plurimas epistulas a quoque petierint, nequa-

quam ueri simile est, eos saepe tam paucas epistulas cogere potuisse scriptas ad uiros, quibuscum Ciceroni multum scribendi usum magnamque familiaritatem fuisse scimus. Immo illas epistulas et ipsas olim uel integros libros uel maiorem aliquam librorum partem effecisse indeque quas nos habemus selectas esse sumere debemus. — Eo quidem fortasse inclinemus, ut prompto animo si magnus epistularum numerus ad eundem uirum eodem anno scriptarum traditus sit, eum integrum esse putemus non quidem illum initio diuulgatum [27]), sed qui totum librum effecerit atque quotcumque epistulae eius anni fuissent, continuerit. Quod si ita esset integer liber in excerpta receptus esset; at obstant exempla ex eis libris, quos excerpta esse pro certo scimus, petita. Caderet enim illud in epistulas ad Sulpicium Lemoniam (XIII. 17—28ᵃ), quae omnes anno IↃCCVIII. scriptae sunt — sed ep. IIII. 4 [28]) eodem anno ad eundem data est. — Itaque cum quae obstare uidentur nihili sint cumque quae modo commemorauimus magni momenti esse uideantur summo iure duodecim primos libros epp. ad fam. omnes excerpendo ortos esse statuemus.

Cum uero neutrum argumentum grauissimum in libros XIIII et XVI cadat, quippe qui cum interiecto l. XV unum corpus non efficiant (id quod mox intellegemus), neque est quo demonstremus eos excerpta esse, nec cur eos pro libris primigeniis habeamus [29]).

---

27) Potuerunt enim editae esse epistulae alio anno scriptae, cf. X. 1—24 (Ciceronis et Planci sunt) anni IↃCCX. et IↃCCXI. cum ep. XIII. 29 ad eundem Plancum a. IↃCCVIII. missa.

28) Cf. de Gruber l. comm. p. 22, quocum consentio. Tertia autem eiusdem libri epistula utrum et ipsa a. IↃCCVIII. an a. IↃCCVII. scripta sit, enucleari non potest.

29) Quod attinet ad librum XIIII priori opinioni fauet Keili coniectura supra comm. (in Diomed. pg. 375. 27), alteri huius libri epi-

Prorsus aliter se habent epistulae ad Atticum missae. Nam quis tandem neget sedecim illos libros eosdem esse, qui initio editi sunt? quis tales pro excerptis habeat? Vix igitur opus esset Corneli Nepotis testimonio, qui (u. Attici 16. 3) haec narrat: ,undecim uolumina epistularum ab consulatu eius (scil. Ciceronis) usque ad extremum tempus ad Atticum missarum'. Quae uerba nobis testimonio esse dixi, quia sine ulla dubitatione pro signo XI (quod etiam nunc tres codices praebent) XVI cum Aldo restituendum est, cum temporum rationes Cornelium de eisdem quos nos habemus libris cogitasse doceant [30]. Quos excerpta non esse non est quod pluribus persequar [31].

---

stulae 10, 17, 21, 22, quae cur in excerptum receptae sint minus perspicitur — attamen neque hoc neque illud certi quid probat.

30) Soli igitur Corneli neglegentiae (qua solet esse in rebus parui momenti) tribuendum est, quod scripsit: ,ab consulatu eius', quamquam nonnullae epistulae (etsi perpaucae) iam ante annum IↃCLXXXXI. scriptae sunt. Item postremae litterae hodie superstites mense Dec. a. IↃCCX, nullae a. IↃCCXI. datae sunt; id quod inde factum esse conicio, quod Atticus illius anni epistulas, in quibus multae erant suspiciosae de re publica disputationes, aut statim postquam legit delebat, aut quo tempore Cicero proscriptus est, nec uero unquam edidit; cf. Abeken, Cicero in seinen Briefen pg. 426, qui Octauianum quominus huius modi epistulae diuulgarentur impedisse putat. Vix erat qui talia uel uellet edere.

31) Veri simillimum uero est in describendis epistulis nonnullas neglegentia omissas esse, id quod eo facilius accidere potuit, quod eadem cuique uerba inscripta sunt. Atque re uera talia facta esse ep. ad fam. XI. 13. A. docet, cuius fragmentum nisi in indice, qui libro in cod. Med. praemissus est, non reperitur (cf. Orelli adnotationem ad h. l.). Sed idem epp. ad Atticum accidisse persuasum habeo, cum ex his ipsis antiqui scriptores tres locos sumptos esse tradant, quos nunc frustra in nostris libris quaerimus. Sunt autem hi: Seneca de breuit. uitae V. 2 (ubi quidem tres codd. scriptum praebent non ,ad Atticum', sed: ,ad actium, ad actitum, ad Acti-

Paullo minus certum quam de epistulis ad Atticum iudicium de tribus libris ad Quintum fratrem missis est, quos selectos non esse quamquam summa fiducia adfirmare non possumus, tamen prorsus ueri simile est. Nam argumentum quoddam iam inde petere licet, quod hi libri non cum excerptis illis (epp. ad fam.) in eodem codice coniuncti, sed seiuncti potius in eodem libro reperiuntur, qui epistulas ad Atticum, quae selectae non sunt, continet. Deinde sunt caussae, cur hos tres libros solos diuulgatos esse putemus. Quae epistulae cum tam accurate non solum annorum sed etiam dierum quo quaeque scripta est ordinem seruent ipsae Quintum curam quandam in his rebus adhibuisse docent. Itaque cum tres libri nobis seruati intra annum IↃCLXXXXIIII. et IↃCC. missi sint, eas quas post hunc annum Cicero ad fratrem dedit epistulas ab ipso Quinto deletas esse conicio. Quae coniectura primum in eas cadit, quae fratri annis IↃCC—IↃCCII., quo tempore apud Caesarem in Gallia uersabatur[32]), missae sunt; M. Tullius enim ipse ep. ad Quint. fr. III. 9. 3: ‚Quam autem‘ inquit ‚te uelim cautum esse in scribendo ex hoc conicito, quod ego ad te ne haec quidem scribo, quae palam in re publica turbantur, ne cuiusquam animum meae litterae interceptae offendant.‘ Itaque, cum in his postremis quas habeamus ad fratrem litteris Marcus Quintum adhortetur, ut cautus in scribendo sit, cumque ipse ne suae epistulae intercipiantur uereatur, fratrem eas ne in Caesarianorum manus inciderent deleuisse facile nobis persuade-

---

cum‘), Charis. pg. 146. 31 Keil. ed., Diomed. pg. 410. 8 (quamquam hunc quidem locum turbatum esse patet; cur autem Keilius uu. ‚propius g. accessi‘ a grammatico ipso ficta esse putet, non intellego). Posset sane esse qui tribus his locis ‚ad Axium‘ scribere mallet (id quod Lipsius apud Senecam l. c. re uera fecit), sed ego ut uel una uel paucae epistulae interciderent facilius fieri potuisse puto.

32) Cf. Cic. pro Mil. 37. 102.

bimus. Inde ab anno IↃCCIII. autem Quintus modo apud ipsum fratrem uersabatur [33]) modo cum eodem modo cum Pomponia uxore discordias habebat, ut illius temporis nullae unquam epistulae fuerint, huius uix tales, quales diuulgari quispiam cuperet; id quod neminem puto non prompto animo concessurum esse, praesertim si quis ediderit Ciceronis epistulas considerabit. Praeterea facile fieri potuit, ut, si quae epistulae seruatae erant, eae quo tempore Quintus una cum fratre proscriptus est, perirent. Denique — quale tandem hoc excerptum esset, in quod tot epistulae ante annum IↃCC., sed ne unae quidem litterae post hunc annum scriptae reciperentur? Quibus si addimus, quod quoscumque locos e Ciceronis epistulis ad Quintum fratrem missis sumptos esse antiqui scriptores tradunt, etiam nunc in illis leguntur, omnes me summo iure de Ciceronis epistulis statuere concedent haece:

epistulae ad Atticum excerpta non sunt,
epistulas ad Quintum fr. excerpta non esse ueri simillimum est,
epistulae ad fam. I—XII, XIII, XV excerpta sunt.
de epistulis ad fam. XIIII et XVI non constat.

Priusquam nunc ad disputationem de corporum, quae epp. ad fam. efficiant, numero finibusque instituendam reuertamur, unde uenerit, ut quorundam epistulae ad Ciceronem missae ab huius epistulis ad eosdem illos scriptis seiunctae sint — id quod supra spopondi — quam paucissimis docebo. Vbi igitur utriusque generis epistulae exstabant, potuerunt in libris primigeniis aut inter se mixtae esse aut alterius generis epistulae antecedere, sequi alterius omnes. Iam ubi illud factum erat, in excerptis et ipsis epistulae commixtae sunt, ubi autem alterum genus ab altero

33) Vid. Haakh in: Pauly, Real-Encyclop. VI. 2. pg. 2238 sq. et Orelli onomast. Tull. II. pg. 620 e. q. s.

seiunctum erat, idque ita, ut utriusque generis epistulae suum uolumen (uel sua uolumina) efficerent (id quod saepius re uera factum esse uidemus)[34]), facile accidere potuit, ut qui eas excerpsit alterum quemque librum post alterum eligendo percurrens Ciceronis epistulas huic libro insereret, cuiuis alteri quibus ille Ciceroni responderat. — Nunc uero de corporum quae his libris efficiuntur numero finibusque quaerere licet.

Quo loco supra hanc rem tractare coeperamus epistularum ad fam. qualis est ordo eo nos duxit, ut minimum duo corpora esse statueremus, cum libros I—X. eiusdem *συλλογῆς* partem ac l. XIII. non magis esse posse intellexissemus, quam lib. I—XII. eiusdem ac l. XV. Iam quaeritur, quanto corporum numero sedecim libros tribuere uelimus. Nam si duo tantum esse sumimus, libros XI. et XII. ad prius trahendos esse adparet, ut

prius corpus contineat libros I—XII,
alterum „ „ „ XIII—XVI.

Sin autem trium corporum numerum quis praefert, ei certe libros XI. et XII. uel cum solo tertio decimo libro uel cum tertio decimo et quarto decimo in unum coniungere licet. Attamen sunt profecto, quae duodecim primos libros in complura corpora dissecari uetent. Cum enim nullus eorum epistulas contineret ad eosdem missas, quorum nomina litteris uni e reliquis undecim libris insertis essent inscripta, unde hoc factum esset admiraremur, si in solis[35]) libris XIII. et XV. non minus octo eiusdem rei exempla inuenirentur. Sed quid de libris XIII—XVI. statuamus? Num

---

34) Etiam nunc habemus librum (octauum), cuius omnes epistulas Caelius ad Ciceronem scripsit. Item complures libros epistularum a Caesare ad eundem scriptarum commemorat Charisius I. p. 126 u. 11 K.

35) Nihil enim ad hanc rem tertius decimus liber et quartus decimus, quippe qui suum quisque orbem per se absolutum habeant, quod ita esse statim uidebimus.

hi et ipsi denuo in complura corpora soluendi sunt? An quid habemus, quod opponamus, si quis sedecim libros epp. ad fam. e tribus, quattuor, quinque excerptis compositos esse putat? Quae ipsa ex ordine epistularum de corporum numero finibusque certum iudicium fieri non posse satis docent, ut hos exhaustos relinquentes nouos fontes nobis recludere studeamus opus sit, quibus usi plus proficiamus.

Quod, nisi me omnia fallunt, nobis continget, si quae cuiusque libri sint argumenta paullo accuratius consideraùerimus.

Primi enim duodecim libri cuiusuis generis atque speciei epistulas continent, cum tractentur res politicae et domesticae, cum insint commendaticiae et quae ad litterarum scientias spectent, aliae. Prorsus alium in modum compositus est

liber tertius decimus, in quo nihil inesse nisi magnum commendaticiarum epistularum numerum iam supra intelleximus;

quartus decimus totus ad Terentiam missus est, unde facile iudicium de argumentis fieri potest;

quintus decimus autem liber plane eiusdem habitus rationisque est, ac primi illi duodecim; restat igitur

sextus decimus rursus ad unum Tironem scriptus.

Quae cum ita sint libros XIII—XVI. nequaquam licere pro uno eodemque excerpto habere facile perspicimus, si tertium decimum cum libro quinto decimo comparamus. Ille enim, qui unam et octoginta commendaticias epistulas neque ullam amplius complectitur — nonne suum orbem per se habet? Quid huic cum ceteris libris commune est? Solus profecto ita compositus est, ut quaecumque insint epistulae simile argumentum tractent. Vnde summo iure huius libri epistulas cum eis quae secuntur eodem tempore in idem corpus receptas non esse conligere licet. Quid enim? si qui libros illos primigenios excerpsit nullas in animo habuisset eligere epistulas nisi commendaticias —

nonne quintus decimus liber et ipse tales contineret? Sin autem alius argumenti epistulas non reiecisset — unde tandem accidisset, ut antecederent plus octoginta commendaticiae, sequerentur uiginti quinque plane diuersas res tractantes[36])? Praeterea uix epistulas electas ita in duo libros distribuisset, ut alter triginta quattuor[37]) paginas (quales sunt in Orelli editione altera) complecteretur, alter duodeuiginti non superaret. Quae cum ita sint, neminem puto fore, qui tertium decimum librum per se suum corpus effecisse neget.

Quod duodecim primi libri tales sunt, ut qui eos conscripserit eandem legem eandemque rationem[38]) in eligendis epistulis secutus esse uideatur, hoc non minus quam quae supra de eisdem libris commemoraui eo nos ducunt, ut hos libros uno excerpto contineri, nec uero in complura corpora diuidendos esse statuamus.

Restat ut agamus de libris XIIII—XVI, qui, ut dicam quid sentiam, etsi de hac re iudicium paullo minus certum est, singuli singula corpora esse uidentur[39]). Frustra enim certam aliquam legem, certam aliquam normam regulamque

---

36) Neque enim quinti decimi libri ut tertii decimi epistulae secundum argumenta dispositae sunt.

37) Ceteri libri uel decem uel unius et uiginti paginarum sunt, si decimum, qui uiginti sex complet, excipimus; itaque ab hac quoque parte tertius decimus liber a ceterorum ratione recedit.

38) Quae uaria epistularum argumenta Frontonis uerba in memoriam nobis reuocant de eadem re scripta haece (ep. ad Antonin. II. 5): ‚Memini me excerpsisse ex Ciceronis epistulis ea dumtaxat, quibus inesset aliqua de eloquentia uel philosophia uel de re p. disputatio; praeterea si quid eleganti aut uerbo notabili dictum uideretur, excerpsi.‘ Quid igitur et Fronto et qui Ciceronis epp. ad fam. lib. I—XII. conscripsit sibi proposuerunt nisi recipere quaecumque uel delectabant uel utilia erant?

39) Si quis libros XIIII. et XVI. pro primigeniis habet, is necesse esse in eadem sententia sit adparet.

quaeremus, quam omnibus eligendis his epistulis componendisque libris adhibitam esse uideamus. Nam qui librum quartum decimum et sextum decimum congesserunt, eos hoc spectasse puto, ut quales fuissent Ciceronis res domesticae qualisque ei cum familiaribus consuetudo ante oculos nobis proponerent. Quinti decimi uero libri epistulis ad Catonem, Marcellos, Paullum, Cassium, Trebonium, qui inter illius generis familiares non erant, scriptis — quid his cum illis? Quid tandem sibi uolunt prima et altera huius libri epistula, quas Cicero proconsul ad senatum magistratusque misit? Sextus decimus certe liber a quarto decimo, si quidem unum corpus tres libri effecissent, quinto decimo interiecto non esset secretus. Itaque libros XIII—XVI. quattuor corpora esse puto, ut si primum corpus primos illos duodecim libros complectitur

primum	corpus	contineat	lib.	I—XII,
secundum	„	„	„	XIII,
tertium	„	„	„	XIIII,
quartum	„	„	„	XV,
quintum	„	„	„	XVI.

Neque uero diiudicare possumus, utrum haec corpora, quorum quaedam ut suppleant magnum illud excerptum (lib. I—XII.) facta esse uidentur, per se quodque an una omnia illi adiuncta sint, neque utrum qui libros XIII—XVI. conscripserunt in eligendis epistulis primum corpus ad manum habuerint atque ad hoc ipsum respexerint, an postea fuerit, qui quinque corpora in unum redigeret. Alterutrum autem factum esse sumamus oportet, cum nisi ita fuisset sine dubio saepe eaedem litterae in compluribus excerptis inuenirentur, quod nunc ne semel quidem accidit. Item in tertio decimo libro hau paucae commendaticiae epistulae omissae sunt, quas libris I—XII. insertas legimus.

Iam superest ut quo tempore haec excerpta facta sint quaeramus; quae disputatio difficilior est, cum perpauca tantum habeamus, quibus nitamur undeque profici-

scamur. Quamquam enim plus centum quinquaginta locis ab antiquis scriptoribus uel Ciceronis epistulae in uniuersum commemorantur uel singularum uerba adferuntur, tamen hi loci ita comparati sunt, ut eodem iure e primigeniis illis libris quo ex excerptis eos sumptos esse statuas. Itaque tres tantum sunt, unde aliquid discamus, quos paullo accuratius tractare debemus:

1) Gellius I. 22. 19: ‚Ita enim scriptum est in libro epistularum M. Ciceronis ad L. Plancum et in epistula (M.) Asini Pollionis ad Ciceronem uerbis his: Nam neque deesse rei publicae uolo neque superesse.‘ Quibus uerbis respexit Gellius ad locum epp. ad fam. hunc: ‚Nam neque deesse neque superesse rei publicae uolo‘, quae litterae re uera ab Asinio Polione ad Ciceronem scriptae atque decimo eorum, qui ad nos peruenerunt librorum (X. 33. 3) insertae sunt. Cum autem hic ipse liber initium caperet ab epistulis, quas Cicero Planco misisset, prorsus ex antiquorum more decimus epp. ad fam. liber dictus est ‚liber epistularum Ciceronis ad Plancum [40])‘. Gellium igitur et ipsum illas Polionis litteras in eo libro inuenisse uidemus, qui ab epistulis ad Plancum scriptis initium capit. Huius autem libri sunt:

epp. 1—24	Ciceronis ad Plancum et Planci ad Ciceronem,		
„ 25 et 26	Ciceronis	ad	Furnium,
„ 27	„	„	Lepidum,
„ 28	„	„	Trebonium,
„ 29	„	„	App. Claudium mai.,
„ 30	Galbae	„	Ciceronem,
„ 31—33	Polionis	„	„
„ 34 et 35	Lepidi	„	„

40) Itaque ‚et‘ particula, quae sequitur, ea quae explicant cum eis quae explicantur coniungit, quod saepissime fieri nemo est qui ignoret.

Cum igitur inter epistulas Ciceronis ad Plancum et Polionis ad Ciceronem epp. 25—30, quibus quinque alia nomina inscripta sunt, legantur, ex hoc ipso ordine Gelli aetate hunc librum iam in eundem modum ac nunc compositum fuisse conligere licet. Itaque quoniam decimus liber, ut supra uidimus, primi excerpti partem efficit, Gellium primum excerptum legisse atque in describendis locis adhibuisse statuemus. Item

2) Nonius (pg. 83. 31) praemissis uerbis hisce: ‚Cicero ad Varronem epistola Paeti‘ longiorem locum adfert eundem, qui legitur ad fam. VIIII. 20. 3. Cum autem noni libri sint:

epp. 1—8. Ciceronis ad Varronem,
„ 9—14. { Dolabellae ad Ciceronem et Ciceronis ad Dolabellam,
„ 15—26. Ciceronis ad Paetum[41])

eum, quem h. l. in adferendis uerbis Nonius secutus est et ipsum hoc libro tali qualis nunc est usum esse h. e. non primigenios illos libros, sed excerpta adhibuisse perspicimus. Contrarium uero docet idem

41) Hoc igitur animaduertendum est, quod Nonius non ita scripsit: ‚Cicero ad Varronem epistola ad Paetum‘, sed cum breuius tum elegantius ut supra attuli sic: ‚Cicero ad Varronem epistola Paeti‘, quae quidem uerba salua codicum scriptura idem significare possunt. Nam prorsus eodem modo idem Nonius (pg. 259. u. 24) uerba: ‚Cicero in epistola Cassi‘ loco cuidam praemisit, quem in epistula non a Cassio ad Ciceronem, sed a Cicerone ad Cassium scripta legimus (fam. XV. 14. 5). Neque est cur dubitemus, utrum epistula a Cicerone an a Paeto (uel Cassio) missa sit, cum uoc. ‚Cicero‘ uel ‚Cicero in epistula‘ huius ipsius uerba adferri satis doceant. Quodsi contrarium Nonius uoluisset, scribere debuisset: ‚Paetus in libro epistularum Ciceronis ad Varronem.‘ Quid quod uu. ‚tua epistula‘ non solum idem esse possunt, ac ‚epistula quam tu scripsisti‘, sed etiam idem ac ‚epistula, quae ad te scripta est‘. Ita e. c. utraque significatio in eadem paragrapho reperitur ad Att. II. 13. 1.

3) Nonius pg. 278 u. 5: ‚M. Tullius ad Cassium lib. I: iam biennium est, cum uirtuti nuntium remisisti delenitus inlecebris uoluptatis', quae eadem uerba reperimus fam. XV. 16. 1 (nisi quod hic scriptum est: biennium aut triennium est). Quem igitur hoc loco Nonius secutus est, ei complures adhuc libri epistularum Ciceronis ad Cassium ad manum erant, ut excerptum (quartum est) uel nondum cognitum haberet uel eo in commemorandis locis uti saltem nollet.

Tres igitur loci e Ciceronis epistulis ita adferuntur, ut Gellius et ille, quem priore loco secutus est Nonius, uerba e nostris excerptis, quem altero loco, is ex ipsis primigeniis epistularum libris descripserint; unde illorum aetate excerpta latius uulgata fuisse intellegimus, quod in hunc non item cadit. Nunc autem, si qui fuerint illi, quos Nonius secutus est, quaerimus, in easdem molestas tenebras incidimus, quae tam saepe si quibus cum Nonio res est, quo minus longius in inquirendo procedant, sunt impedimento. Cognouimus sane Nonium multis uariisque in rebus Gellio fonte quamquam tacitum usum esse — sed longe alia erant quae ei locos Ciceronis epistularum suppeditabant. Cum enim Nonius plus septuaginta huiusmodi locos adferat, apud Gellium tres tantum reperimus — quorum ne unum quidem Nonius in suos libros recepit. Sed quid? Nonne Gelli octauus liber totus periit? Nonne ibi de Cicerone agere potuit? Immo non potuit solum, sed eum re uera de Cicerone sexto (nec uero ullo alio) capite egisse ex indicibus illis, quos Gellius ipse singulis libris praemisit, adparet, ubi scripta sunt haece: ‚quid M. Cicero de amore amicitiae senserit cum ipsius uerbis additum.' Attamen uereor ut huic capiti cum Ciceronis epistulis res fuerit, cum Gelli uerba: ‚cum ipsius uerbis' non tam singulos locos hinc illinc conlectos, quam longiorem aliquam explicationem locum habuisse satis doceant. Quid si ‚ipsius uerba' e Tulli Laelio sumpta erant? Sed largiamur Gel-

hum in amisso illo capite singulos locos e Ciceronis epistulis congessisse, quis tandem credat eorum numerum septuaginta superasse, cum in reliquis undeuiginti libris non plus tres reperiantur? Quis hoc etiam, Nonium hos septuaginta potissimum per totum corpus suum dissipasse? Neminem puto fore, quin Nonium ut multa alia ita hos de quibus agimus locos grammaticis quibusdam nobis prorsus ignotis [42]) debere concedat. Nihil igitur nisi hoc a Gellio et Nonio discimus: Antoninorum aetate primum excerptum *πρωτοτύποις* illis libris latius uulgatum fuisse, cum alter Noni locus (p. 278. 5) prorsus nihil doceat. Eodem enim iure illum, qui M. Tulli ad Cassium libros adhuc integros tractabat ante Gelli aetatem anteque perfecta excerpta uixisse statuas, quo eidem uel Antoninis imperatoribus uel postea etiam adnuente Fortuna integris illis libris uti licuisse. Nam quid est cur sumamus primigenios illos libros eodem tempore ipso omnes periisse, quo excerpta diuulgari coepta sunt?

Sed etsi ueterum testimonia iam nos deserunt, tamen aliquid, nisi omnia me fallunt, statuere licet. Cum enim primi seculi grammaticorum studiis prorsus alienum fuerit Ciceronis epistulas excerpere, quippe qui ipsi noui aliquid perficere solerent, e x c e r p t a i l l a quae ad nos peruenerunt quaeque e p i s t u l a s a d f a m i l i a r e s dicere consueuimus i n e u n t e a l t e r o p. C h. s e c u l o c o n f e c t a e s s e puto. Quod si ita est Gelli aetate satis diuulgata esse potuerunt. Grauissima autem caussa, cur illo potissimum tempore excerpta confecta esse statuerim in eo est, quod Frontonem ipsum Ciceronis epistulas in excerpta redegisse scimus [43]). Quae eadem ac nostra corpora esse neque est cur

42) Attamen consentio cum eis, qui hos grammaticos Antoninorum aetate uixisse putant.

43) Locum, quem opus est totum adponam, hunc habes: Fronto ad Antonin. II. ep. 5 (ed. Mai 1828): ,Memini me excerpsisse ex Ci-

adfirmemus nec cur negemus — studiorum certe uiam atque rationem inde licet perspicere.

Sed haec hactenus. Neque enim accuratius quo tempore excerpta confecta sint enucleare possumus, nec quonam excerpto quodque corpus sit prius, quo posterius ortum pro certo inuestiges. Quamquam quod libros epp. ad fam. I—XII. continet corpus primo compositum esse, ueri simillimum est, ut cum cetera excerpta ut supplerent illud facta sint, tum quintus decimus liber, cuius epistulas eadem argumenta tractare supra uidimus. Praeterea eum, qui tertium decimum librum congessit, libros I—XII. conlectos ad manus iam habuisse inde fortasse concludere licet, quod qui singula corpora in unum coniunxit, nisi hoc ita fuisset, omnes potius epistulas commendaticias huic libro tribuisset atque, si quae in libris I—XII. repetitae [44]) inuentae essent, ex his ipsis eas sustulisset.

---

ceronis epistulis ea dumtaxat, quibus inesset aliqua de eloquentia uel philosophia uel de re p. disputatio; praeterea si quid eleganti aut uerbo notabili dictum uideretur, excerpsi. Quae in usu meo ad manum erant excerpta, misi tibi. Tres libros, duos ad Brutum, unum ad Axium describi iubebis, si quid rei esse uidebitur et remittes mihi: nam exemplares eorum excerptorum nullos feci. Omnes autem Ciceronis epistulas legendas censeo mea sententia uel magis quam omnes eius orationes. Epistulis Ciceronis nihil est perfectius.' Cum Frontonem integras epistulas, neque uero singula enuntiata elegisse cum uu. ‚Tres libros . . . Axium', tum haec: ‚Omnes autem Ciceronis epistulas e. q. s.' satis doceant (scripsisset profecto, si contrarium uoluisset non ‚omnes', sed uel ‚totas', uel ‚integras') ‚ne quae insit uerbis ambiguitas puto scribendum esse: ‚ex C. epistulis eas d.' VV. autem quae sunt: ‚praeterea si quid e. q. s.' in hunc modum interpretare: praeterea si quid in aliqua epistula eleg. a. u. n. d. uid. eam epistulam recepi. — Ceterum illa aetate saepius epistulas electas atque in angustiora corpora redactas esse idem Fronto ib. II. 4. extr. docet.

44) Animaduertendum enim est inter illas librorum I—XII. epi-

Nunc tandem ea tractare licet, unde Ciceronis epistularum *συναγωγαὶ* initium ceperunt, nostrae de eisdem epistulis institutae disputationes capere non potuerunt. Quaecumque enim hucusque disputauimus, ea spectant ad excerpta plus centum annis post mortuum Ciceronem confecta, nunc ad *πρωτοτύπους* epistularum libros ipsos nos conuertamus primum quis eos diuulgauerit quaerentes.

Quod si facimus Cicero ipse quo tempore primum, ut ita dicam, initium conligendarum epistularum factum esset nobis tradidit, qui anno IↃCCVIII. Tironi haec scripsit (ad fam. XVI. 17. 1): ‚Video quid agas. Tuas quoque epistulas [45]) uis referri in uolumina'. Neque uero cum eis [46]) consentio, qui inde putant concludere licere illo iam tempore Ciceronis epistulas in uolumina redactas fuisse; quid enim si uerbis ‚Tuas . . . uolumina' non haec e contrario ponenda sunt: ‚ut meae relatae sunt', sed si hoc tantum Cicero uoluit: ‚ut meas epistulas in uolumina referri me scis uelle'? Sed quid, nonne idem Cicero se in conligendis atque in ordinem redigendis epistulis suis parum profecisse ipse confitetur, cum scribat haece ad Atticum (XVI. 5. 4): ‚Mearum epistularum nulla est *συναγωγή*, sed habet Tiro instar septuaginta. Et quidem sunt a te quaedam sumendae. Eas ego oportet perspiciam conrigam: tum de-

---

stulas, quae eisdem ac quaedam XIII. libri inscriptae sunt, commendaticias esse.

45) Nonnullas Tironis epistulas re uera editas esse, Gellius docet, qui magna earum fragmenta nobis seruauit, cum X. 1. 7, tum VI. 3. 10, quo loco Catonem, cuius orationem Tiro in epistula quadam ad Axium uituperauerat, acrius quam felicius defendit. Tironis epp. ad Ciceronem scriptae a Cicerone ad fam. l. XVI. saepe commemorantur (ut 4. init.), item ad Atticum missae: Att. V. 20. 9, (Attici ad Tironem: Att. XII. 19. 4, XII. 48) ad Quintum fr.: fam. XVI. 26. 1.

46) Vt F. Mezger (Ciceros Briefe uebers. v. M. Stuttg. 1859) I. pg. 37.

nique edentur[47])'. Quibus e uerbis cum scripta sint a. d. VII. Id. Quint. a. IↃCCX, pro certo concludere licet Ciceronem quae promisit perficere uoluisse, nec uero unquam re uera perfecisse. Septuaginta enim epistulae, quae quartam fere partem earum efficiunt, quas hodie in sedecim libris epp. ad fam. conlectas habemus — quota pars illarum erant, unde hos libros electos esse scimus! Quis autem Ciceronem postremo uitae anno omnibus rebus perturbatis tantum epistularum numerum conlegisse, perspexisse, conrexisse putet? At quid dico postremum uitae annum — immo postremis mensibus hebdomadibusque eum his studiis incubuisse sumere deberemus, cum ipsi habeamus quae litterae paucis mensibus ante eius obitum scriptae sint. Quicumque autem Ciceronis recordantur, quam misere sollicitus, quantopere perturbatus illo tempore fuerit, de talibus ne cogitare quidem licere concedent. Adde neglectum epistularum ordinem, qualem Cicero nequaquam tulisset, adde denique, quod ne congruunt quidem diuulgatarum epistularum rationes cum illo Tulli consilio — uiuo Cicerone epistulas editas non esse intellegimus.

Iam si accuratius inquirimus in illum ‚neglectum epistularum ad Attic. ordinem', quem saepius adhuc commemorauimus, non plus quinque libros ita compositos esse uidemus, ut diei quo quaeque litterae missae essent, ratio sit habita. Quid quod ne in his quidem quinque libris (est quintum, septimum, octauum, nonum, decimum) omnia ita se habent, ut dubitatione careant[48]): ceterorum epistulae aliae magis aliis permixtae sunt atque confusae. Neque uero hunc perturbatum ordinem solis librariis tribuere licet, cum

---

47) Quod cod.: ‚inistar . . . Equidem . . . sumenda' hoc nihil ad nos; quod autem ad rem ipsam attinet cf. ad Att. IIII. 6. 4: ‚Epistulam Lucceio nunc quam misi . . . fac ut ab eo sumas: ualde bella est.'

48) Cf. de Gruber l. comm. ad epp. 297, 328—330, 333, 369, 370.

talia hic illic quidem accidere soleant, ordo tot locis tamque grauiter casu nunquam perturbetur; neque erit, qui epistulas cum primum conligerentur in suum quidem ordinem redactas sed in ipso conficiendo primo exemplari confusas esse putet, cum hac explicatione non tam caussam quam tempus perturbationis mutet. Ne multa: tantum abest ut epistulae ad Atticum cura quadam et opera adhibita diligenter in ordinem redactae sint, ut quo modo ille eas in scriniis conditas seruatasque habuisset, deinceps sint descriptae. Iam unde uenerit, ut quaedam epistulae secundum diem, quo quaeque scripta est, procederent, aliae ordinis prorsus nullam rationem haberent, perspicimus, cum illas epistulas Atticus postquam eas accepisset statim apud ceteras deposuerit, has nescio quo casu impeditus seruatas una cum aliis condiderit, ut facile perturbarentur. Haec puto scrinia Atticum librariis tradidisse. Itaque non grammatici epistulas edendas in ordinem redegerunt, sed bibliopolae potius eas, utut casu se excipiebant, describendas curauerunt. Quod ita fuisse Tunstallus [49]) confirmat, qui exemplis epistulas non eo ordine sese excipere demonstrauit, quo Cicero eas scripsit, sed quo Attico traditae sunt. — Quid autem, si ne Attico quidem homini accuratissimo et diligentissimo, quo uiuo epp. ad Att. editae sunt [50]), curae fuit, ut illae epistulae in suum ordinem reponerentur — cui tandem talia cordi fuisse putes? Num Caeliis? num Curionibus? num Dolabellis? Neminem illo tempore talia curasse intellegimus, cum epistulas non tam historiae, quam litterarum hominumque studio impulsi legerent. Itaque epistulas, unde epp. ad familiares, quas dicimus, electae sunt, et ipsas bibliopolarum librariorumque cura conlectas atque diuulgatas esse summo iure

---

49) Epistola ad Middleton (Cantabr. 1741) pg. 13. e. q. s.

50) Cf. Nepotis uitae Attici 16. 3 et 19, quaeque infra de hoc loco disputabimus.

statuere mihi uideor. Huc optime quadrat, quod harum ordinem miserius etiam perturbatum esse cognoscimus quam epistularum ad Atticum, cum nusquam plus quaternae epistulae ad eundem scriptae suum ordinem teneant, si epp. I. 1—9. et II. 1—7. excipimus; quamquam de nonnullis ex his certum iudicium fieri non potest, ut ne hae quidem sententiae nostrae obstent. Attamen fieri potuit, ut uel hic uel ille epistulas a Cicerone ad se scriptas accurate in ordinem conditas seruaret, quod Quintum Tullium fecisse propterea sumere debemus, quod libri ad hunc missi bene se habent. Plerosque autem securos confusas suas epistulas bibliopolae tradidisse Tironis exemplum docet, quem si modo quempiam ipsum accuratissime epistulas in ordinem redacturum fuisse putemus oportet. Cuius Tironis nullas in edendis epistulis partes fuisse[51]) (nisi forte septuaginta illas epistulas eidem bibliopolae ut casu se habebant, tradidit) illarum epistularum ordo docet.

Iam si quaerimus quis fuerit ille bibliopola, qui Ciceronis epistulas edendas curaret, ex ipsius T. Pomponi Attici[52]) officina eas prodisse puto, quem scimus cum singulos libros integrasque bibliothecas emisse et uendidisse[53]), tum ‚pueros litteratissimos et plurimos librarios'[54]) qui eos describerent[55]) habuisse. Ciceronis autem litterarum studia amicus elegantissimus et eruditissimus uarium in modum adiuuabat, cum argumenta quae tractaret

---

51) Quas fuisse uoluit etiam Bernhardy, Röm. Litt. pg. 682 (ed. III). Contra mecum consentit: Manutius comment. in epp. ad fam. praef. ad lib. XIIII. cf. Drumann, Gesch. Roms VI. pg. 409.

52) Qua de re consentio cum Drumanno l. c.

53) Cf. ad Att. I. 4. 3, 7, 10. 4, II. 4 init.

54) Nepos, uita Attici 13. 3. Catalogum omnium quos nouimus Attici seruorum habes apud Drumannum l. c. V. 66.

55) Ad Att. XII. 40. 1. cf. Drumann l. comm.

ei proponeret[56]), cum liberaliter quaecumque ille ex eius doctrina quaesiuisset, responderet[57]), cum scripta ipsa conrigeret[58]), ut Cicero (ad Att. XVI. 11. 1.—4) ‚se cerulas eius miniatulas illas extimuisse' confiteretur, quamquam idem ‚ἄνϑη' quoque notabat. Cicero rursus, quae nuperrime scripserat illi (eique saepe primo) mittere solebat[59]). At maioris momenti est, quod Cicero ipse disertis uerbis Atticum sua scripta diuulgasse narrat, cum scribat ad eum (II. 1. 2) haecc: ‚Tu, si tibi placuerit liber (scil. Ciceronis de consulatu suo Graece scriptus) curabis, ut et Athenis sit et in ceteris oppidis Graeciae'[60]). Inde saepius Cicero amicum adhortatur, ut prima quae confecta sint suorum scriptorum exemplaria uel huic uel illi mittat[61]); inde ad Atticum sese conuertit, si quid postquam librum describendum misit in eo erratum esse ipse animaduertit[62]). Ita cum se libris de gloria scriptis idem prooemium praeposuisse quod antea ‚Academico tertio' uidisset, Attico nouum prooemium misit, ut is illud resecaret, hoc adfigeret[63]). Tantum autem edendorum Ciceronis scriptorum studium Attico erat, ut nonnunquam antequam Cicero ipse permi-

---

56) Ad Att. XIIII. 14. 5: ‚Et hortaris me, ut historias scribam?' b. XIIII. 17. 6, XV. 4. 3, XVI. 2. 6, XII. 4. 2 et Orelli onom. pg. 482. A. extr.

57) Ad Att. XII. 5. 3, 20. 2, 23. 2, XIII. 6. 4, 30. 3, 32. 3.

58) Ad Att. I. 14. 3: ‚meis orationibus, quarum tu Aristarchus es.' cf. XVI. 11. 2, 14. 2.

59) Ad Att. I. 19. 10, 20. 6, II. 1. 3. cf. Drumann l. c. V. pg. 56. e. q. s.

60) Cf. ad Att. XII. 40. 1, XIII. 21. 5. al.

61) Ad Att. XIII. 37. 3, 48. 2. cf. Drumann l. c. V. pg. 43.

62) Ad Att. XIII. 44. 3: ‚erratum esse meum . . . Da igitur, quaeso, negotium Pharnaci Antaeo Saluio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur.'

63) Ad Att. XVI. 6. 4. Cicero scilicet olim corpus prooemiorum conscripserat, unde si quo opus esset, sumeret.

sisset ea diuulgaret, quam ob caussam ille (ad Att. XIII. 21. 4.): ‚Dic mihi‘ inquit ‚placetne tibi primum edere iniussu meo? Hoc ne Hermodorus quidem faciebat is, qui Platonis libros solitus est diuulgare e. q. s.‘ Itaque cum uideamus, Atticum uiuo Cicerone scripta eius edidisse idque tam studiose, ut ne quaereret quidem, num ille concederet (cum sine dubio multa exemplaria eaque magno pretio uenirent), Attici librarios ea descripsisse[64]) (praeter ceteros Pharnaces, Antaeus, Saluius Ciceronis operibus operam nauasse uidentur[65]): ex eiusdem Attici (qui nullam lucri faciendi occasionem sua sponte praetermittere solebat[66]) officina non solum epistulas ad hunc ipsum missas, sed ceteras quoque uel omnes uel longe maximam partem prodisse sumere debemus. Quid? nonne ex ipsius Tulli quae supra attulimus uerbis (ad Att. XVI. 5. 4) opus est concludamus, Atticum a Cicerone ut epistulae ederentur quaesiuisse? Quod cum Cicero non recusauisset, uoluisset tamen antequam diuulgarentur eas perspicere atque conrigere (id quod eum perficere non potuisse supra intelleximus), hau dubie mortuo amico Atticus quod uiuo eodem uoluerat perfecit. Neque erat profecto, qui ad conligendas edendasque Ciceronis epistulas aptior fuisset Pomponio ipso, cum nemo eodem quo ille modo cum omnibus fere illius aetatis uiris clarissimis consuetudinem haberet cumque nemini plures diuersarum partium sectatores deberent[67]), ut

---

64) De ratione quae inter Atticum ipsum et librarios eius intercesserit, cf. ad Att. XII. 40. 1: ‚Itaque misi librum ad Muscam, ut tuis librariis daret. Volo enim, eum diuulgari, quod quo facilius fiat, imperabis tuis‘, et XIII. 21. 5: ‚Scripsi enim ad librarios, ut fieret tuis, si tu uelles describendi potestas‘.

65) Vid. adnot. nostram 62.

66) Cf. Drumann l. comm. V. pg. 63—68.

67) Quod fere solum Nepos per totam uitam Attici probare studet.

Atticus ceteris multo facilius epistulas tot uiris [68]) missas in unum congerere posset.

Si igitur M. Tulli epistulae ab ipso Attico conlectae ex eius officina prodiere, inde iudicium de tempore, quo diuulgatae essent facere possemus; sed felici quodam casu grauius testimonium habemus, quo si utimur paullo accuratius quo tempore conlectae sint epistulae uidebimus. Epistularum enim ad Atticum missarum exemplaria quo tempore Cornelius Nepos duodeuiginti prima capita uitae Attici composuit iam exstitisse hic ipse l. comm. c. XVI. §. 3. narrat, ubi de familiaritate, quae inter Ciceronem et Atticum erat, locutus: ‚Ei rei' inquit ‚sunt indicio praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in uulgus [69]) sunt editi, sedecim [70]) uolumina epistularum ab consulatu eius usque ad extremum tempus ad Atticum missarum. Quae qui legat non multum desideret historiam contextam eorum temporum.' Vbi igitur Cornelius haec scriberet epistulas ad Atticum nondum ita, ut quilibet eas legere posset, diuulgatas fuisse, quae his epistulis e contrario posita sunt docent haece: ‚libri . . . qui in uulgus sunt editi'. Itaque — Nepotem enim eas iam cognitas habuisse uidemus — conlectae quidem epistulae ad Atticum illo tempore iam erant, nec uero nisi pauca earum exemplaria conscripta, quae Atticus prorsus ex more cum antiquorum tum ipsius [71]) amicis suis, inter quos Cornelius et ipse erat, mi-

---

68) Hinc tantum intellegimus unde uenerit, ut Tiro Ciceronis ad se scriptas epistulas non una cum suis ipsius ederet, sed librariis traderet, cum intimo mortui domini amico, quocum ipse usu coniunctus esset, ut illas quoque ad se datas epistulas mitteret petenti non haberet quo modo recusaret.

69) In nonnullis codd. scriptum est: uulgus iam sunt.

70) Codd.: ‚undecim', quod in ‚sedecim' cum Aldo conrigendum esse supra uidimus.

71) Ad Att. XIII. 37. 3: Eam (scil. Ciceronis laudationem Por-

serat. Iam cum epistulas ad Atticum non ante quam scripsisset Cornelius capita I—XVIII. uitae Attici diuulgatas esse intellexerimus, quo tempore hanc priorem uitae partem Nepos composuerit, quaeritur. Quod uiuo quidem Attico, h. e. ante annum IↃCCXXII. factum esse ipse disertis uerbis initio cap. XVIIII. tradit, sed paullo accuratius scripti libri tempus definire possumus. Agrippina enim Pomponi neptis, cum paullo post quam primum uitae annum degisset Tiberio sponderetur, cumque Atticus haud ita breui post illa sponsalia mortuus esse posset (quod Nepos c. 19. §. 4 sq. commemorasset), minimum duobus annis ante auum defunctum nata est h. e. aut a. IↃCCXX. aut antea. Iam Nepos ipse ea quae inde a capite undeuicesimo traderentur postquam priorem uitae partem composuisset facta esse fatetur, ut caput sextum decimum ante annum IↃCCXX. scriptum [72]) esse adpareat. Sed unde tandem uenit, ut Atticus octo annis post Ciceronis mortem epistulas eius conlectas quidem haberet amicisque suis missas, in uulgus uero nondum editas? Duplex huius rei potest esse caussa; aut enim epistulas ad se missas nisi post suam ipsius mortem omnino noluit diuulgari, aut turbata illo tempore res publica impedimento fuit. Neque enim solum postquam proscriptiones uix fugit uillas suas Epiroticas petierat, sed postea quoque ibi uersatus esse uidetur [73]). Quin etiam nequaquam ueri dissimile est, eum per complures annos, quibus alterum bellum ciuile alterum secutum est, in Graecia mansisse atque a. IↃCCXVIII. demum, cum Octauianus Vrbem Italiamque paullo pacauerat, Romam redisse — idem enim Sullano bello flagrante fecerat. Quis

---

ciae) tu igitur, si me amas, curabis — si modo mittetur — isto modo mittendam Domitio et Bruto. cf. ibid. ep. 48. 2.

72) Edita autem uita Attici anno IↃCCXX. esse potest, ut Nipperdey in ed. suae (1849) pg. XVII. statuit.

73) Vid. Nepotis uit. Att. XI. 1 et 2.

igitur utra caussa Atticum commouerit audeat diiudicare? Si prior circa annum IↃCCXXIII, sin altera quattuor fere annis antea epistulas ad Atticum diuulgatas esse sumendum est.

Sed quid de illis libris *πρωτοτύποις* statuamus, unde epistulae ad fam. electae sunt? Vtrum hi libri, quos primigenios breuius quam rectius dixi, prius quam epp. ad Att. diuulgati sunt, an postea? Quod si quaerimus uix dubitabimus, quin Atticus cum edendarum Ciceronis epistularum consilium cepisset primum epistulas ad se ipsum missas in uolumina redegerit, quippe quas ad manum haberet. Cum autem his perfectis uel tris uel etiam plures annos in uita esset[74]), satis temporis fuit, quo plerosque epistularum libros[75]) cum earum quas electas habemus, tum illarum quarum nihil nisi nomina eis inscripta ad nos peruenerunt, conligeret, ut pauci tantum libri ex aliorum officinis postea prodirent. Itaque paucis annis aut ante Attici mortem aut post eius obitum libri de quibus agimus sunt editi. Quae cum ita sint non multum errabimus, si Ciceronis epistulas decennio illo intra annos IↃCCXV. et IↃCCXXV. diuulgatas esse statuimus.

Haec habui, quae de ratione, qua Ciceronis epistularum libri orti essent, proferrem; restat igitur, cum quid eis altero p. Ch. n. seculo accidisset iam supra explicuerimus, ut quae eorum et antea et postea fata fuerint uideamus. Sed quam pauca ex his fatis cognita habemus! Nihil profecto scimus, nisi qui antiqui scriptores nobis seruati quemque Ciceronis epistularum librum non tam tractauerint, quam se tractasse ipsi fateantur. Itaque haec testi-

---

74) Nihil enim nisi epistulas ad Att. a. IↃCCXVIIII. iam conlectas fuisse scimus.

75) Nepos uerbis: ‚eos libros' e. q. s. (l. comm. 16. 3) non ad hos epistularum libros respexit, sed cogitauit de Bruto, Laelio, aliis (cf. Orator. 34. 120, de finib. V. 1. 1, 2. 4. al.).

monia in unum ita conligere, ut quantum fieri posset singulorum librorum fata perspicerentur meum esset, nisi haec satis facile ex ipsis fragmentis cognoscerentur, quae Orellius (in edit. Turic. anni 1828. uol. IIII. parte II. pg. 461—468.) congessit, Reinh. Klotzius (in edit. Teubn. part. IIII. uol. III. pg. 249—256.) iterauit [76]).

Malo igitur ueterum scriptorum [77]) nomina sequens composito conspectu demonstrare, quas quisque epistulas in suum usum conuerterit, ut quanti quoque tempore Ciceronis epistulas aestimauerint quantumque operae eis nauauerint — quantum fieri potest — adpareat [78]). Adhibuerunt igitur:

Cornelius Nepos: epp. ad Att.
M. Ann. Seneca: Cassi ad Cic. (fam. XV. 19).
L. Ann. Seneca: epp. ad Att., ad Atticum (I. 12, 16, al.), [ad inc.].
[Plinius maior: ad inc.].
Quintilianus: epp., ad Atticum (VIII. 5, VIIII. 10), ad Brutum, ad Cerelliam, ad filium, ad Appium Pulchrum (III. 8), ad inc., [Bruti ad Cic.].
Plutarchus: ad filium, ad Herodem, ad Pelopem, ad inc., ἐπιστ. Ἑλληνικαί, Bruti ad Cic.
Tacitus: Calui et Bruti ad Cic.
Plinius minor: epp.
Suetonius: epp. ad Att., ad Atticum (XII. 26), ad Axium, ad Dolabellam (fam. VIIII. 10), ad Cornelium Nep., ad Quintum fr. (I. 2), ad Titinnium, ad inc., Caesaris ad Cic.

---

76) Omisso frgto ep. ad Brutum apud Seruium (ad Aen. VIII. 395. ed. Lion) tradito, sed ‚optimis' codicibus tacentibus.

77) Praecedunt quos quando uixerint cognouimus, ceteri secuntur.

78) *Epp.* u. nude positum significat Ciceronis epistulas in uniuersum, item *epp. ad Att.* epistulas ad Atticum missas. Praeterea si quis locum epistularum nobis seruatarum adfert hunc uncis inclusum adposui, sin epistulae Ciceronis omisso eius nomine cui quaeque data est commemorantur, adscripsi: *ad inc.*, ut signa [. . .] ea notent, quae ne scimus quidem utrum re uera Ciceronis epistularum fuerint, an alius alicuius libri.

Fronto: epp., ad Brutum lib. II, ad Axium lib. I.
Gellius: ad Atticum (VIIII. 5), ad Seruium Sulp. (fam. IIII. 4), Asini Polionis ad Cic. (fam. X. 33).
Nonius: ad Atticum (II. 7, IIII. 6, VIIII. 5, XV. 4), ad Axium lib. II, ad Brutum lib. VIIII (I. 1), ad Caesarem lib. III, ad Caesarem iuniorem lib. III, ad Caluum, ad Cassium lib. I. (fam. XV. 14, 16), ad Catonem (fam. XV. 3, 4; al.), ad Curionem (fam. II. 2), ad Dolabellam (fam. VIIII. 14), ad filium lib. II, ad Hirtium lib. VIIII, ad Pansam lib. III, ad Paetum (fam. VIIII. 20), ad Pompeium lib. IIII (ad Att. VIII. 11. D.), ad senatum (fam. XV. 2).
[Lactantius: ad filium].
Ammianus M: ad Nepotem, ad Quintum fr. (I. 1.), ad Brutum (I. 2).
[Sextus P.: Cato in epist. ad . . .].
Seruius: ad Brutum lib. I, ad filium.
Macrobius: ad Cornelium Nep. lib. II, ad Atticum (I. 19, XVI. 6).
Sidonius Ap.: epp.
Priscianus: ad Caluum lib. I, ad filium lib. I, ad Nepotem [79]), ad Pansam lib. I, Bruti ad Cic.

Arusianus: ad Auxium [80]) lib. I.
Charisius: ad Atticum (VIII. 1, X. 5, XVI. 3, al.), ad Hostilium, ad Marcellum, ad Torquatum (fam. VI. 1), Caesaris ad Cicer.
Diomedes: ad Atticum, ad Caluum, ad filium, ad Quintum fr. (II. 1), [ad uxorem [81])].
Incertus ed. Otto: ad Pansam, ad Marcellum (aut ad Marium, fam. VII. 2).
Pompeius c. a. D.: epp.
Schol. Cic. Bob.: ad Pompeium.

---

79) Apud Priscianum (II. pg. 383. 1. Keil) post u. ‚Nepotem' numeri alicuius signum intercidisse conicio propter u. q. sec. ‚in eodem'; cf. Prisc. III. 70. 13. K., al.

80) Quamquam et in pg. 212 et 213. ap. Lindem. scriptum est: ‚ad Auxium', tamen Ciceronis epistulas ad Axium fuisse suo iure Orellius statuisse mihi uidetur.

81) De hoc Diomedis loco (pg. 376. 2. K.) supra egimus.

Restat ut quo tempore Ciceronis epistulae et quas electas habemus et illae, e quibus pauca tantum uerba ad nos peruenerunt, interierint, quaeramus. Illorum autem scriptorum, quos Ciceronis epistulas ipsas adisse putare licet, postremus fere Fronto se epistulas ad Axium, Brutum, alios excerpsisse commemorat [82]). Cum igitur de illo temporis momento certi nihil amplius sciamus, tamen epistulas, de quibus agimus, haud ita multo post Gelli aetatem ueri simillimum est sic interisse, ut neque amplius tractarentur nec describerentur. Perpauci enim tertio p. Ch. seculo erant litterarum studiosi, qui fontes ipsos adirent; quod si quis facere uoluit, ei illa electarum epistularum corpora satis materiae, cui et facilius et commodius operam nauaret, praebuerunt. Inde factum est, ut ea quibus iam Gellius usus esset excerpta ad nos peruenirent, quibus singulari beneficio fortuna libros epistularum ad Atticum [83]) addidit, ut ex illis quot Ciceroni fuissent epistularum commercia, ex his qualia fuissent conicere liceret.

---

82) Loco saepius tractato: epp. ad Antonin. II. 5.

83) Sero cum his epistulas ad Quintum fr. coniunctas esse cum ordo qualis est in cod. Med. (ad M. Brutum liber singularis — ad Q. fratr. libri III — epistula ad Octauianum — ad Atticum libri XVI) docet, tum quae Th. Mommsenius (in Zeitschrift f. Alterthumsw. 1847. Nr. 99. pg. 785.) disputauit, qui in codice archetypo epistularum ad Atticum alium uersuum numerum singulis paginis fuisse atque in archetypo epp. ad Quintum fr. ueri simile esse demonstrauit.


ADDENDA.

Postquam hanc dissertatiunculam iam totam conscripsi, contigit mihi nouissima Ciceronis epistularum editio Fr. Hofmanni (Ausgewählte Briefe von M. T. Cic. 1. Bdchn. Berlin 1860. Weidm.), qui in eisdem rebus tractandis plerumque in alia quidem atque ego est sententia, nec uero mihi persuasit. Cum autem meam de his rebus opinionem modo exposuerim pauca tantum quae addam habeo. Negat enim (pg. 9) epistulas ad fam. excerpta esse quattuor ob caussas hasce: primum primigenios illos libros epistularum, quarum ordo nomina eis inscripta secutus est, epistulas ad senatum (XV. 1 et 2) continere potuisse negat — sed quidni potuit exstare Ciceronis liber epistularum ad senatum, quas de prouincia ac re publica scripserat? (cf. Suet. d. Iul. 56). Nihilo magis probo, quod: ,unvereinbar ist es' inquit ,mit dieser Annahme (de excerptis agit), dass so auffallend viele Briefe andrer Personen aufgenommen sind, von denen einige gar nicht an Cicero gerichtet sind und sehr viele zum Verständniss der übrigen Briefe nicht das Mindeste beitragen'; nam tales epistulas in primigeniis corporibus esse potuisse ipse concedit (cum nostras ep. ad fam. pro primigeniis habeat), idque summo iure; sed quaecumque primigenii libri complexi sunt, ea profecto in excerpta transire potuerunt, si aliqua ex parte alicuius momenti erant. Hanc ipsam ob caussam tertium, quod profert, recte se habet: offensioni esse quasdam epistulas, quae nullius momenti sint — sed hoc non cadit nisi in librum quartum decimum, quem fortasse primigenium esse ipse concessi; nam epistula VI. 15 breuissima quidem est, sed eadem lepidis-

sima. Quarto denique loco Hofmannus his pergit uerbis: ‚dass endlich aus den uns nur dem Namen nach bekannt gewordenen Sammlungen, in denen gewiss viele höchst ausgezeichnete Briefe sich fanden, verhältnissmässig nur wenige, und aus den Briefen an Atticus und Quintus Cicero, deren Vorzüge wir aus eigner Anschauung kennen, gar keine in unsre Sammlung aufgenommen sind.‘ Sed quid mirum, quod is, quem tot libros excerpsisse uidemus, nonnullos praetermisit? Multas cur hoc factum sit caussas fingere possumus; potuerunt enim illae epistulae in consilium eius non quadrare, potuerunt plus quadringentae quas conlegerat ei satis esse. Quid si illos libros excerpere ei ne contigit quidem? quid si eos ipse possedit (quod in ep. ad Quint. fr. et ad Attic. cadere puto), ut cur ex eis epistulas sumeret non esset? Quid si quae excerpta temporum iniquitate perierunt? Quod denique Hofmanno ep. V. 7 ut illa quam Cicero de consulatu suo Pompeio misit, et ipsa in excerptum reciperetur flagitasse uidetur: hanc epistulam V. 7 etiam absente illa intellegimus, multae ad Atticum scriptae non satis intelleguntur, nec uero Attici epistulas unquam diuulgatas esse erit qui putet. Praeterea illa quam Hofmannus desiderat epistula fortasse uel propter longitudinem recepta non est (cf. schol. Cic. Bob. pg. 270 Or.: ‚non mediocrem ad instar uoluminis scriptam‘).

Quae Hofmanni coniecturae (epp. ad fam. ante illos ampliores libros editas esse putat) repugnant, ea supra explicuisse mihi uideor (cf. praeter cetera quae de dissipatis Caesaris, Cassi, aliorum epistulis, de ratione qua diuulgatae sunt, de libro tertio decimo disputaui).

Bonnae, formis Caroli Georgi.




Lc 40.520
Historia critica M. Tvlli Ciceronis
Widener Library 006119191
3 2044 085 196 608